B. N. C^{l}
FIRENZE
1037
13

1937 13

XV
PATI

XV

PATIN.

1037.13


PACE BELLORVM. TRIVMPHANS
F H Widman In

1037.13

FLORES
MEDICINÆ THEORETICÆ;

Quos PræſideDeo, & Adiutore D. Antonio,

Pro viribus, Germanico more, deffendere conabitur

IOSEPHVS SCHIFFMAN
HELVETVS LVCERNENSIS:

Sub auſpicijs Illuſtriſs. & Generoſiſſimi *D.*

ANDREÆ BRIDLER

TVRGOIÆ NOB. EPISCOPICELLENSIS,

I. N. G. A. Conſiliarii, necnon Almæ Vniuerſitatis Patauinæ Pro-Scindici digniſſimi.

Die 2. Iunij, Hora XXI.

In Ædibus

Exc. D. Caroli Patini, D. M. Pariſ. Profeſſ. Publ.

PATAVII, M.DC.LXXVIII.
Apud Cadorinum, Superioribus annuentibus.

Illuſtriſsimis, Ampliſs. Generoſiſs. & Conſultiſſimis,
Inclytæ Reipublicæ Lucernenſis apud Heluetios
Patriæ Patribus, Ordinis Senatorij, Tribunatus,
& primaria Dignitate quàuis præcellentibus,
Dominis D & fautoribus meis gratioſiſſimis.

DVm inter impedimenta, quæ medici ſtudij difficultatem adaugent, non minimum eſſe præuiderim, quòd præceptorum ambages prolixaquè multitudo, quæ Tyronum animos obruunt, aditum ad Sanctiſſimæ artis penetralia ſalebroſum efficiat. omnes animi vires in altè iacendis fundamentis, deuotequè exſtruendis Deæ ΥΓΙΕΙΑΣ ædibus, excitaui. Quocirca hoſce FLORES ex ampliſſimo MEDICINÆ THEORETICÆ campo, indefeſſo eruditiſſimarum mentium labore pridem ſeminatos cultoſvè, iam collectos mihi èxaminandos propoſui. Cuius autem patrocinio FLORES hoſce firmarem, fructuſque percipere, ſperarem non diu dubitaui, dum Illuſtriſſimarum DD. veſtrarum nunquam intermoritura memoriâ ſolicitus, quâ ratione & gratioſiſſimè collata beneficia reſtaurarem, & laudem veſtram æternùm proclamarem vos, ò Patriæ Patres, humillimè ſuſpicio. Nam cui magis hoſce FLORES quàm pace belloq. triumphanti Lucernenſi Virgini dedicare, ſertumquè illi componere, glorioſiſſimaquè eius fronti imponere deceret? Illa quippe pace triumphat Catholicæ Religionis inſuperabili conſtantia, prudentiſſima in rebus agendis perſpicacia, æquiſſima in omnes iuſtitiæ adminiſtratione, fœderum legumquè integerrima obſeruatione, erga ſubditos pietate, ſcientias earumque cultores fauore. Bello & hæc triumphat inſita magnanimitate, ab incunabulis adulta fortitudine, gentili inuicto robore, tantaque armorum felicitate, quæ non ſolum primam ſedem, cui iam glorioſa in hoſtium terrorem amicorumque ſolamen inſidet, comparuit, ſed etiam in maximorum Principum auxilium vocata, coronas iam iam labentes forti manu fronti firmauerat. Ad tribunal itaque huius triumphantis, cuius honores glorioſiſſimè promouetis, Vigilantiſſimi Tutores, hos FLORES depono, avens vt dignis dignum foret hoc meum munuſculum. Porro enixè rogo, vt ardentiſſimum in vos ſtudium meum, non opere, quod nec Ciceronis nec Demoſtenis facundia rite perageret, metiamini ſed meo obſequendi flagrantiſſimo deſiderio benignè ſuſpiciatis, mequè veſtra beneuolentia protectioneque dignum cenſeatis: Felices igitur viuite, Illuſtriſſimi D.D. Deo, Patriæ, Amicis, Clientibuſque, in quorum numero me vſque ad aras cenſeri cupio.

II. DD. VV.

Humillimus, addictiſſimus & obſequentiſſimus
JOSEPHVS SCHIFFMAN.

Patauij. Kalendas Maij,
M. DC. LXXVIII.

1037 13

FLORES MEDICINÆ THEORETICÆ.

I. DE MEDICINA.

AB Altiſſimo manauit Medicina, artium præſtantiſſima, quæ Adamo θεοδιδάκτω cum cæteris habitibus ſcientificis infuſa eſt. Non ineptè illam inuentam fuiſſe ab Apolline cecinere Ægyptij ſcriptores, quem cum Sole eundem affirmabant, frugum & florum parente: Ab Æſculapio amplificatam, perfectam ab Hippocrate, Græci. Artem, Scientiam, utramque dixeris, vel neutram, benè dixeris. Verſatur circa res ſalubres, inſalubres & medias: A quibus definitur, humanæ ſanitatis conſervatrix, præſervatrix & reſtitutrix. Scientia eſt, qua humani corporis affectiones dignoſcuntur, quatenus ſanum eſt, & à ſanitate recedit: ſeu adjectio deficientium & detractio excedentium. Phyſiologia, Hygiene & Pathologia ſint baſes πράξεως, ſeu θεραπευτικῆς, cui Diæta, Chirurgia & Pharmacia miniſtrant.

II. DE MEDICO.

Medicus eſt vir philoſophus, naturæ miniſter, eiuſdem imitator; inventor occaſionis in morbo, ideo ἐπιχαιρότατος. Elegantiùs, Vir bonus medendi peritus. Si omnia fecerit ut ſanaret, peregit partes ſuas: Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger. Experimentum rationi viam aperuit, methodus ampliauit, ratio confirmat & perficit. Hinc tres Medicorum ſectæ, quarum rejectis Empiricâ & Methodicâ, optima eſt Dogmaticorum, quippe qui rationi & experientiæ ut duobus cruribus innituntur. Herbatii, Vnguentarii, Coqui, & venam ſecantes Medicorum miniſtri habeantur.

III. DE PHYSIOLOGIA.

Vbi definit Phyſicus, ibi incipit Medicus. Ille naturam examinat, ut principium motus & quietis, ſeu generationis & corruptionis: Medicus eandem ut compoſitum quid ex anima & corpore, & quæ ipſis inſerviunt. Ejus cognitio omni Medico neceſſaria eſt, qui rectè agere velit. Ipſa erit morborum medicatrix, ſalutis hominum causâ, omnia præſtans: Cuius ideo magnus admirator fuit Hippocrates. Nihil enim fruſtra facit: Ea repugnante, omnia fiunt irrita. Naturam quippe expellas furcâ, ſemper recurret: ejus vires ſupplente conſuetudine. Illam conſtituunt & conſervant elementa, temperamenta, humores, ſpiritus, partes,

facultates & functiones : Et ideo res naturales dicuntur ; quæ & Phyſiologiam occupant.

IV. DE ELEMENTIS ET TEMPERAMENTIS.

Principia conſiderant Phyſici, rem incorpoream. Medici ſola elementa ; ſeu minimam mixti partem, rem ſenſibilem. Hæc ſincera in animalibus non dantur : Eorum tamen proportio ſanitatem, exceſſus aut defectus morbum creat. An formâ, an ſolis qualitatibus illa inſint mixtis, Medico inutile, Phyſico problema ſit. Quatuor primæ qualitates, quatuor elementa determinant, è quibus temperamentum exurgit, ſeu forma mixti. Sit itaque finis mixtionis ſeu ad obeundas actiones unio congrua, ſecundum quam differunt ætas, ſexus, regio, tempeſtas, ſed ſupra omnia, ſanitas. Temperamentum ad pondus non datur, ad juſtitiam maximè ſalubre eſt : Quod ſcilicet neque excedit, neque deficit. Temperata hominem non lædunt, animalium temperatiſſimum.

V. DE HVMORIBVS.

Ex humoribus natus eſt homo, ideo proxima ſint ejus elementa ; phyſicis analoga, quæ ſuis quæque dominantur partibus, quorumque inquiſitio Medico valde neceſſaria eſt. Illos vel coqui vel putreſcere oportet. Atra bilis, quòd neque πέψιν neque πεπασμὸν perferat, lethales morbos facit. Sint illi, fluxiles ſubſtantiæ ex alimento genitæ. Alimentarii ſunt, ſanguis, bilis, pituita, & ſuccus melancholicus : ij roris inſtar decidentes, ut gluten deinde & cambium aſſimilantur. Excrementitij, vel quantitate ſola peccant, ut ſemen & ſanguinis menſtruus, frivola animalium ſuperbiſſimi origo : vel qualitate, qui rurſus interdum vtiles, fel, limus, ſerum ; interdùm inutiles, ſudor, urina ſtercus ; trium coctionum reliquiæ. Maſſæ ſanguineæ plurimùm ineſt ſanguinis ; bilis minimùm ; hinc dulcia amica vitæ. Sanguis ſincerus plus nutrit, quàm cæteri humores, hi tamen nutriunt. Semen diffluit à toto non mole, ſed viribus : formaliter non materialiter.

VI. DE SPIRITIBVS.

Natiuus calor, calidum innatum, anima mundi, ſpirituſque ſola differunt ratione. Tamdiu enim vivimus quamdiu calor eſt in nobis, vitæ principium & fons. Spiritus ſit corpus æthereum, tenuiſſimum, calidiſſimum, in obeundis functionibus præcipuum animæ inſtrumentum, quarum eſt cauſa, opifex, & effector, malorumque depulſor. Ingenioſè ideo dicitur, vinculum animi & corporis. Mole parvus, maximis eſt viribus, quare Iovis fulmini comparatur. Eius potentiâ ſemina omnia prolifica ſunt. Vitalis generatur in corde, animalis in cerebro : Unus altero perfectior. Elementaris ſit an diuinus &

Immortalis, Phyſici diſputent. Medico ſit problêma. Innatum, viventis theſaurum cenſeamus, quippe ab initio partes ſingulas articulat, & conſervat: influentem verò innati cuſtodem & continuum reparatorem. Ille ubi vult ſpirat. Igneus eſt illi vigor & cæleſtis origo.

VII. DE PARTIBVS.

Partes phyſicæ dicuntur, quæ totum complent, integrant & conſtituunt, quo ſenſu in continentes, contentas & impetum facientes diſtinctæ ſunt. Vulgo diuiduntur in ſimilares & diſſimilares, in quibus diſſectio conquieſcit. Medica pars ſit corpus toti cohærens, communique vita conjunctum ad illius functionem, uſumve comparatum. Neceſſariæ aliæ ſunt, vt cor, hepar, pulmo, ventriculus: aliæ vtiles, vt teſtes, oculi, manus inſtrumentum ſapientiæ: aliæ ad ornatum, ut coma, barba: hæ tamen latiori tantum ſignificatione partes ſint, ut hominum vngues, boum cornua: veriùs excrementa dicantur. Humani corporis partes ampliſſimas, artus ſcilicet brachia cum manibus, cruraque cum pedibus, & ventres, caput, thoracem, & abdomen, haſque tanquam facultatum peculiarium domicilia ſpectet Anatomicus. Phyſiologo prætereà innoteſcant per omnia, os, cartilago, ligamentum, fibra, membrana, nervus, vena, arteria, caro & cutis; ſenſibilia hominis elementa. Cor, ſolus ſit microcoſmi Sol & Princeps: Εἷς βασιλεύς.

VIII. DE FACVLTATIBVS ANIMÆ.

Anima ſit forma corporis animati, & principium facultatum corporis viventis, ſeu perfectio corporis organici poteſtate vitam habentis. Vegetatiua eſt in plantis, ſenſitiua in belluis, ratiocinans in hominibus. Hæc ita differt à temperamento, ut faber à ſerra, & artifex ab inſtrumento. Aurigæ hæc comparatur, priores equis. Formarum phyſicarum ſit præſtantiſſima, cùm divina ſit ejus eſſentia, immortalitatis particeps. Quas facultates concupiſcibilem, iraſcibilem, & ratiocinantem dicunt morales Philoſophi, has Medici naturalem, vitalem & animalem nuncupant, ſedibus diſtinctas, in hepate, ſcilicet, corde & cerebro. Naturalis tres habet miniſtras, nutricem, auctricem, & generatricem; illa iterum quatuor attractricem, retentricem, aſſimilatricem & expultricem, quibus reparatur triplicis ſubſtantiæ noſtræ perennis diſſipatio. Animalis facultas quæ à cerebro tanquam à Sole influit, ſit ſentiens, movens, & princeps; Senſus communis internus ſit; externi quinque, viſus, auditus, guſtus, odoratus, tactus, quorum ſolus poſtremus abſolutè neceſſarius eſt. Nervi molles ſentiunt, duri moventur, vel ſpirituum tranſmiſſione, vel ſolâ irradiatione. Cerebrum totum continet memoriam, imaginationem & ratiocinationem; quibus homo animal conſilii plenum divinumque nuncupatur.

IX. DE FVNCTIONIBVS.

Ut facultates ab Anima procedunt, ita functiones à facultatibus; quarum motus ſunt ad operandum. Nutritio eſt repletio vacuati, ſeu converſio alimenti in ſubſtantiam viventis. Ejus appetentia neceſſaria eſt; ſicci, fames; humidi, ſitis nuncupatur. Utraque duplex, naturalis omnibus partibus convenit, animalis ſtomacho. Coctione omnia fiunt in homine, chilificatio in ventriculo, ſanguificatio in venoſo & arterioſo genere, aſſimilatio in partibus. Accretio, corporum in omnem dimenſionem proventus, fit maximè ab humido; hinc pueri & fœminæ viris citiùs creſcunt: decreſcunt viventia, humidi radicalis defectu. Sit ergo ætas conſiſtẽs & media, inter augmentum & decremẽtum Gigantum extenſio, nanorumq; contractio naturalis quidem, ſanitati tamen minùs commoda eſt, nullis regionibus aut gentibus familiaris. Generatricem vim vocant Philoſophi formarum diſpenſatricem, & naturam naturantam ἀπο τ̃ πανσπερμιας. Sit in homine productio viventis à vivente, ſeminis & ſanguinis menſtrui ope, à quibus genitura, embrion, foetus. Fœminæ ut teſtes ſic & ſemen habent, ſicut humidius, ita impotentius. Conceptionis locus ſit uterus, primum hominis domicilium: præter naturam, ejuſdem tuba. Seminis retentio ſola conceptionem non efficit, ſed retenti ad actum promotio. Superfœtatio leporibus familiaris naturam excedere videtur, aliquando tamen in mulieribus contingit, & interdum quibuſdam etiam familiaris eſt.

X. DE REBVS NON NATVRALIBVS.

Ut homo rebus naturalibus conſervatur, ſic ijs deſtruitur quæ ſunt præter naturam. Inter illas dantur mediæ & indifferentes, benè utentibus bonæ, malè utentibus malæ: ideo res ſalubres, ſeu non naturales dictæ; ſcilicet Aër ambiens, cibus & potus, ſomnus & vigilia, labor & quies, excreta & retenta, animi pathemata, quarum expoſitionem docet Ὑγιεινή. Harum uſu moderato conſervatur ſanitas, immoderato morbus invadit. Aërem inſpiratu & perſpiratu continenter attrahimus, ideo purus eligendus eſt, nullis inquinamentis infectus, ſed liber & ventis ſalubribus perflatus. Septentrionalis, Meridionali ſalubrior; & Orientalis, Occidentali. Aſiani molles ſunt & imbelles, quòd perflentur Auſtro. Loca paluſtria ſunt nocentiſſima. In emendo agro ſalubritatem cæli commendabat imprimis Varro, hoc eſt aëris ſitum.

XI. DE POTV ET CIBO.

Triplicis ſubſtantiæ noſtræ perennem iacturam natura reparare tentat; Spirituoſam aëre inſpirato, & odoribus, ſolidam cibo, humidam potu: cujus præcipuum eſt opus. Aquæ potus puriſſimus cenſeatur, ſi calore, odore, ſapore non peccet; Vinum petitis, & Nilum habetis, objurgabat

Merito Peſcennius Imperator ſuis militibus. Pluvialis,Fontana,Fluviatilis, Putealis & ſtagnans, ſalubritatis deſignatione ſcriptæ ſunt : quarum Medicus valde ſit ſollicitus . Zito vtuntur qui vinum non habent, præparationis varietate magis minùſve ſalubri. Pomaceum piraceo ſalubrius: vino tamen cedat, cardiacorum optimo & medicinæ ſalutari. Alimenta præſtant quæ optimum habent ſuccum , coquuntur facile & citò diſtribuuntur. Quæ ſitim pariunt,naturam evertunt. Panis ſiligineus ſit optimus: legumina flatus gignunt. Fructus parùm nutriunt , & citò corrumpuntur. Avium carnes quàm quadrupedum ſalubriores, horum quàm piſcium : Marinos laudant Medici ſupra fluviatiles , hos ſupra ſtagnantes.

XII. DE SOMNO ET VIGILIA.

Rerum non naturalium moderatio ſalubritatem efficit. Hinc ſomnus & vigilia, ſi modum exceſſerint malum. Ille animalis facultatis quies eſt, quo reparatur vigiliarum atq; laboris aſſidui diſſipatio. Ita differt ſomnus à ſopore,vt ſanitas à morbo. Interdiu vigilandum,noctu dormiendum eſt, habeatur porro ratio ætatis , tempeſtatis , conſuetudinis . Licet quippe meridiari,longis diebus. Decubitus ſit modò in vnum,modò in alterum latus,corpore molliter flexo. Inſomnia ſi fuerint grauia,morbum denotant; ſi levia humorem exuperantem. Hinc aliquot divina nuncupantur. Somnus ſi contulerit, ſalubris eſt : ſi laborem præſtat, lethalis eſt.

XIII. DE MOTV ET QVIETE.

Motus violens ſanitati adverſatur, lenis conducit , qui exercitatio nuncupatur : Corporis ſcilicet motus , quem anhelitus difficultas conſequitur. Ejus ars ab Antiquis Gymnaſtica dicta eſt; Lucta, curſus , ſaltus, pilæ luſus, frictio, præcipuæ ſunt ſpecies : Remigatio , aratio, oneris geſtatio, equitatio,venatio, manuum aut vocis operatio , aliaque numerum augeant. Sanitatis ſtudium eſt non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad laborem. Cibum minuere & laborem augere ſalubre eſt. Labores cibos præcedant,pernicioſa cenſeatur poſt cibum motio. Qui benè concoxit, mane tutò ſurget: qui minimè,in lecto quieſcere debet , nec labori ſe aut fatigationi credere. Gracilibus mitior,robuſtis validior competit exercitatio. Labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia mediocria.

XIV. DE EXCRETIS ET RETENTIS.

Si excernenda retineantur , retinenda excernentur, fiunt morborum cauſæ. Alvi proluvies, lotium & ſudor, poſtulante naturâ, evacuentur: quin & ipſa excrementa ſola quantitate peccantia , ſemen & ſanguis menſtruus. Sit hic humor in vtero contentus, nutriendo fœtui deſtinatus, alioquin ſtata periodo excernendus. Immoderata horum profuſio plus

nocet vitæ ; quàm ſi eo plus ſanguinis centies effluxiſſet. Hinc ſalacia animalia ſunt vitæ breuioris ; paſſeres auium ſalaciſſimi, vix duos annos excedunt, mares quia femellis ſalaciores, citiùs moriuntur. Rara venus, corpus excitat. Hæc pro ſanitate exerceatur, non voluptate. Ab ea abſtineant ſicci, frigidi, ſenes. Vomere olim aſſuetum, vel bis in menſe, at meliùs non vomere : ſubvertitur quippe ventriculus contra naturam, fumiſque repletur caput. Sordes, ſputum, mucus, cerumen, aliaque partium excrementa, diligenter purgentur. Ubi natura erit infirmior, medicamentis ſollicitetur.

XV. DE ANIMI PERTVRBATIONIBVS.

Pathemata ſeu perturbationes ſint animi motus irrationales contra naturam. A Medicis inveſtigantur quatenus corpus alterant, & à naturali ſtatu avertunt. Stoici ἀπαθείαν in ſapiente conſtituunt ; Cautiores Peripatetici μετριοπαθείαν in eodem admittunt. Ei non eſt cor ferreum, homoque cùm ſit nihil à ſe alienum putat. Concupiſcit, iraſcitur, neque ideo in ſanitatem peccat, niſi cùm violenter. Bonum malumve ſeu præſens ſeu futurum, aut appetit aut abhorret. Timor ſæpe exanimavit, effuſumque gaudium : ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. Ira porro omnium paſſionum eſt teterrima. Illi cæteriſque dominetur ſapiens, ut effreni æquo ſeſſor ; nauique procellis agitatæ, gubernator.

XVI. DE MORBIS.

Quidquid humani corporis naturam evertit, morbus eſt, aut cauſa morbi, aut ſymptoma. Morbus eſt affectus contra naturam actiones primò & per ſe lædens : cui opponitur ſanitas, ſeu actionum integritas. Similaris morbus partium ſimilarium, vel intemperies eſt, vel occulta qualitas, organicus organicarum, cōmunis verò ſoluta unitas. Læditur organū numero, magnitudine, ſitu & conformatione. Solutio continui quinq; habet differentias : Vulnus, ulcus, fracturam, luxationem, & tumores præter naturam. Hi ſunt vel ſimplices vel compoſiti : illi pro humorum ratione ſunt quadruplices : Eryſipelas, phlegmon, œdema, & ſcirrhus. Cancer ab atra bile cenſeatur, ſicque inſanabilis. Aperiuntur vaſorum oſcula ἀναστόμωσι ſeu dilatatione, διαπήδησι ſeu reſudatione, & ἀνάβρωσι ſeu eroſione.

XVII. DE MORBORVM DIFFERENTIIS.

Morbi quidam ſunt primarii ſeu idiopathici, vt epilepſia affecto cerebro : vel ſecundarii, vt eadem epilepſia orta à conſentiente cerebro, vitiis ventriculi, lienis, vteri, & cæt. Paruos morbos nuncupant Medici, qui ſolius naturæ ope vincuntur ; Magnos demonſtrant eorum eſſentia,

partium præſtantia; malignitas, & ſymptomatum grauitas. Acuti non ſunt, qui celeriter diſcutiuntur, ut febris diaria: Sed ii qui plurimos homines & citò necant. Vt Cauſus, Pleuritis, Apoplexia. Simplices & compoſiti, mites & maligni, adventitii & hæreditarii, communes & diſperſi, Medico innoteſcant, præcipuè Endemii & Epidemii. Contagium tribus modis ſerpit, contactu ut in ſcabie: Fomite relicto, ut in ſtrumis, lue venerea: Demum emiſsâ virulentiâ, vt in peſtilentibus febribus.

XVIII. DE CAVSIS MORBORVM.

Omnia fiunt ex materia, per formam, ab efficiente, aliquo fine. Efficiens cauſa à Gal. præcipuè inveſtigatur, ut pote quam Medicus auferre conatur. Impoſſibile quippe eſt morborum vires inveſtigare, illisq; opitulari, niſi eorum cauſæ probè cognitæ ſint. Externa illa eſt, vel interna. Illa in rerum non naturalium vſu immoderato conſiſtit. Internæ ſunt vel antecedentes, Plethora & Cacochymia: vel conjunctæ, vt ſanguis putridus, qui phlegmonè facit. Sex modis præcipuè cauſæ operantur: per ſe, per accidens: actu, potentiâ: priùs & poſterius: univerſaliter, ſingulariter: disjunctivè, conjunctivè: proximè, & remotè. Rhabarbarum calefacit per ſe, per accidens refrigerat.

XIX. DE SYMPTOMATIBVS.

Ut morbum cauſa præcedit, ſic eundem ſymptomata ſubſequuntur, ut umbra corpus. Sint affectus contra naturam à morbo producti: interdum ſymptoma erit morbus, vt febris in pleuritide. Diſtinguuntur tum in παθογνωμόνικα, quæ omni morbo, ſoli, & ſemper conveniunt: ut in pleuritide dolor lateris punctorius, febris aſſidua, difficilis reſpiratio, & tuſſis: Tum in apparentia ſeu, ἐπιγινόμενα, quæ eidem adeſſe vel abeſſe poſſunt, frequenter tamen adſunt: ut ſputum cruentum, dolor ad clauiculam. Cùm ſint innumera, reducantur ad actionem læſam, immoderationem in excretis & retentis, & qualitates præter naturam immutatas. Actio, imminutione, deprauatione, abolitione læditur: ſic viſus hebetatione minuitur, deprauatur hallucinatione, cæcitate aboletur. Dolor eſt ſenſatio triſtis & moleſta, quæ ad actionem læſam pertinet.

XX. DE SIGNIS.

Quidquid rem obſcuram indicat ſignum eſt: medicum erit ſi ad ſanitatem vel morbum pertineat. Diagnoſtica ſunt, è quibus morbus integrè cognoſcitur: Prognoſtica, quæ eventum portendunt, Salutem vel mortem; ſitne morbus brevis vel longus futurus, &c. Pulſus validus vitalis facultatis robur demonſtrat: Cordis quippe motus eſt, & arteriarum. Delirium inflammationem cerebri aliquando conſequitur, vt in phrenitide; aliquando ſanguinis atrabilarii fervorem, ut in mania; aliquando ſanguinis craſſitiem & malignitatem, ut in melancholia. Urina ad diagnoſin &

prognoſin plurimùm valet. Notentur ejus hypoſtaſis, ſuſpenſum, & nebula. In fœcibus obſerventur quantitas, qualitas, locus, tempus, & motus. Sputa ſudoreſque à Medico inveſtigentur. Sciat quippe num evacuationes ſymptomaticæ ſint, num criticæ.

XXI. DE CRISIBVS.

Criſis eſt magna & repentina in morbis mutatio, vel ad ſalutem vel ad mortem, præcipuè in acutis. Sit bona, perfecta, fida, tuta, manifeſta & indicata. Criſin, ſi non ſit perfecta, Medicus debet adiuvare, nec ab eâ more vulgarium perterreri. Præſtantiſſimus dies criticus ſit ſeptimus, ideò Rex nuncupatus; ſicut ſextus, Tyrannus. Celebrantur poſtea 14. 20. 40. & centeſimùs. Quartus index ſeptimi; Nulla tamen ratione confirmari poſſunt critici dies. Coctionis ſigna, cœtera ſuperent. Occaſio præceps; ideo inveſtigentur principium, incrementum, vigor, & declinatio, quatuor morborum tempora. Deſperatos non deſerat Medicus, præterquam quòd enim natura ſua habet miracula, præſtat anceps experiri remedium, quàm nullum. Neque tamen ſunt infamanda præſidia, quæ pluribus poſſunt eſſe ſaluti, neue videatur Medicus eum occidiſſe, quem ſors ipſa peremit.

COROLLARIA.

1 Medicina eſt artium difficillima.

2 Vt merus Grammaticus, hoc eſt abſq; philoſophia, eſt merus aſinus: ſic merus Practicus, hoc eſt abſque ſpeculatiua, eſt merus impoſtor.

3 Temperamentum qui non curat, aut cognoſcere neſcit, is Medici nomen non meretur.

4 Eclipſes, Cometæ, aliæque cœli mutationes non ſunt portentoſæ, ideoq; a Medico negligendæ.

5 Prognoſticum medicum cenſeatur aſinorum pons, ad quem agirtæ temerario currunt pede, Sapientes tremunt.

FINIS.

In Nobiliſſimum, & eruditiſſimum D.

IOSEPHVM SCHIFFMAN

Purioris medicinæ aſſertorem.

HVc huc Fama tuum mox interrumpe volatum
SCHIFFMANI laudes ſiſtere iure iubent.

Quas parat ingenium multo pretioſius auro.
Quod ſemper vigilans adiuuat atque labor.

Principium feruet; medium cum floribus ardet.
Feruentem finem florida palma manet.

Flos fecit flores, florem Fortuna fouebit.
Florenti flori florida Flora fauet.

Has igitur laudes diſpergas Fama per Orbem
Gaudeat ac hilari tota Lucerna ſono.

Hic morbis mors eſt Schiffmanus, vitaque vitæ,
Ars breuis eſt illi, vitaque longa foret.

Prometitas laudes adaugere conatus eſt
SEBASTIANVS ZENI
Phil. & Med. Doct. Tirolenſis.

IN

In Nobiliſſimum, & Doctiſſimum D. DEFFENDENTEM.

IN pelagum Hippocratis quæ te nam deuehit aura?
Neptunus tuto flamine vela reget?

Tam celeri curſu quænam tu littora tendis?
Per tantos fluctus nulla pericla times?

Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Et quidni poſſint rumpere quoque tua?

An non ſecurum portum tibi terra dediſſet?
Sic felix audax ergone linquis iter?

In ſterili FLORES, Schiffman, fors æquore quæris.
Narciſo at nunquid ſemper abundat ager?

Aſt age quid miror? miror tui nominis omen
Nam liquidum NAVTIS aura ſecundat iter.

Scilicet haud trepidas tam celſas æquoris vndas.
Nam natura tua nauigat ipſa rati.

Imo vt ſic ſpiſſas nebulas perfringere poſſis,
Æternum fulget clara Lucerna tibi

Perge igitur felix, & ad hortum te vehe florum,
Quem belle ſertum non procul eſſe vides.

Et iam iam video, qua flores colligis arte,
Floribus ingenij gratulor agricola.

Gratulabundus acclamauit
CAROLVS ARNOLDVS HEGNER.
Phil. & Med. D. Heluecto-Lachenſis.

Ornatiſſimo, ac Doctiſſimo D. RESPONDENTI.

QVos pandis flores, vt olent, Schiffmanne, lucernã,
Hanc redolere, refers, ipſa Lucerna cupit.

Applaudo, doctis vigil impalleſcere chartis
Perge, manent auſus præmia digna tuos.

Laude genus, lauròque tuum, famaque nitebit,
Dumque labor creſcet, creſcet & æquus honos!

Applaudebat
FRANCISCVS STOCKHAMER Salisburgenſis
I.N.G.A. Bibliothecarius, almæque
Vniuerſitatis Conſiliarius Bohemus.

IN D. IOSEPHVM SCHIFFMAN
LVCERNENSEM,

Theſes medicinæ theoreticæ aſſerentem.

Difficile eſſe, ratem ventis vndiſque petitam,
Ad portum ſaluam ducere, Nauta, ſcies;

Arduus & labor eſt: Theoriæ dogmata magni
Hippocratis ſolus pandere pro merito;

Hoſtiles machinas in Theſes clarè reſoluens
Æternum nomen grande decuſque paris.

Summaque quid valeat monſtras doctrina Patini:
Hic Doctor Medicus, Lector & eſt celebris.

Interea Nautæ magnos ſperato Lucerna
Fructus, Ars illos ſpondet & ingenium!

Τῆς φιλίας ἕνεκα
canebat
Germanus Albertus Tager,
Bruntrutanus Rauracus,
medicinæ Studioſus,

1037.13 99 956963

1037.13

Ditta SALVAREZZA s.a.s.
RESTAURO
Via A. Cervi 5 - Roma